

## S E X T V S.

est 16. digiti superficiales 26. m. Superficies autem dicti circuli a, b, g, d. fuit 113. digiti 6. mi. quam si constituemus 12. digitos, erit ousal 12. z. g, d. digitus unus 45. mi. fere, quod est intentum.

### P R O P O S I T I O    x x v i i i .

Quantitatem anguli ex ecliptica & circulo per ambo centra Luminarium vel Lunæ & umbræ transeunte prouenientis inquirere.

¶ Non quæruntur hi anguli nisi ad principia eclypsium & fines, & principia more & fines in Luminaribus. Sit igitur in eclypsi Lunari in principio totius centrum umbræ punctum a. in ecliptica b, a. & portio circuli declivis Lunæ sit e, g. quæ est tanquam æquidistant eclypticæ, propter paruitatem arcus eius. In principio eclypsis sit Luna super e, in principio more super d. in medio super g. productis lineis a, e, a, d, a, g. propositum est inuenire angulum b, a, e. item angulum b, a, d. Est autem angulus g, insensibiliter à recto differens, & a, e, est aggregatum semidiametrovum Lunæ & umbræ a, d. autem semidiameter umbræ minus semidiametro Lunæ a, g. uero latitudo Lunæ in medio eclypsis, quæ nota sunt. In trigono itaq; e, a, g. proportio laterum e, a, a, g. nota, ergo tanquam in rectilineo notus erit angulus a, e, g. qui est æqualis angulo e, a, b. quæsito. Similiter per trigonum d, a, g. notus erit angulus a, d, g. æqualis d, a, b. quæsito. In medio uero eclypsis talis angulus rectus est, similiter in eclypsi Solari a, e. erit aggregatum ex semidiametris, & a, g. distantia duorum centrorum in medio eclypsis, ex quibus notus quoq; fiet angulus a, e, g. Sed melius est, ut agas in principio eclypsis per aggregatum semidiametrovum, & latitudinem Lunæ ueram aut uisam, in principio eclypsis & in principio more per semidiametrum umbræ minus semidiametro Lunæ, & latitudinem Lunæ ueram in principio more, & fiet opus præcisius. Verū si omni præcisioni inniti uoles, fac opus per scientiam triangulorum sphæralium. Fecit enim Ptolemæus tabulam horum angularium, in quam fit introitus cum digitis eclypticis, & supposuit Lunam in longitudine media epicycli. Ex digitis enim & aggregato semidiametrovum reperit arcum a, g. cum quo egit ut dictum est;

### P R O P O S I T I O    x x i x .

Flexus tenebrarum ad quam partem accendent in eclypsi determinare.

¶ Evidentiæ gratia sit eclypsi Lunari circulus umbræ super centro a. in eclipticab, a, c. & propter angulos de quibus præcedens doctrina fuit, assignandos, sit circulus d, n, e. cuius polus sit a. Si itaq; Luna in aliquo priorū temporum eclypsis fuerit super b. flexus tenebræ eius respiciet uersus orientem ad punctum e. Et contra, in aliqua temporum posteriorum si sit super c. flexus tenebrarum eius respiciet uersus occidentem ad punctum d. Si uero latitudinem habuerit in aliquo tempore, ut si in principio eclypsis uel more sit in latitudine septentrionali, puta in f. flecentur tenebræ eius uersus punctum k. in partem orientalem meridionalem secundum quantitatem b, a, f. anguli ex præmissa noti. Sed si sit in latitudine meridiana, puta in l. flecentur tenebre eius uersus o. ad partem orientalem septen-

L trionalem

